



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Ignorantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

propter olei penuriam introductum est, quod sagimine uti, possint pro oleo, etiam iis diebus, quibus tenentur ab ovis, & lacticiis abstinere, quod cum fiat (scientibus, & tacentibus Prælatibus) qui in hoc possunt dispensare, censentur in hoc dispensasse.

340. Quæritur. An Catholicus existens in Hæreticorum, & Turcarum locis, possit licitè in diebus jejunii de præcepto carnes, & lacticia comedere?

Resp. Negativè, si comestio illa, data opera, proponeretur ad cognoscendum; quis esset Catholicus, & quis Infidelis, aut in contemptum Ecclesiæ, vel ex ea sequeretur grave scandalum, si verò non ad hunc finem proponeretur, & aliàs grave damnum sibi ex non comestione immineret, licitè posset ea comedere; verùm si nihil mali timeretur, & alii cibi non deessent, neque in secreto posset ea comedere, quia nullus excusatur à lege Ecclesiastica, præcisè, quia est inter infideles, cum leges communes Ecclesiæ sequantur non locum, sed personam.

I G N O R A N T I A.

341. **Q**Uæritur. An ignorantia invincibilis juris naturæ excuset à peccato formali operantem ex ipsa?

Resp. Affirmativè, contra Novatores cum Jansenio docente peccatum ex ignorantia invincibili juris naturalis patratum esse formale, & non merè materiale, quorum falsa doctrina expressè damnatur ab Alexandro VIII. cum *propos. 2. in secundo Decreto*, rat o est, quia ignorantia invinci-

H bi-

bilis juris positivi in omnium sententia excusat à peccato formali, ergo etiam ignorantia invincibilis juris nature, antecedens est certum; consequentia probatur ex D. Thoma, qui universim de quacumque ignorantia invincibili loquens part. 2. qu. 76. art. 3. habet; Ignorantia, quæ est causa actus, quia causat involuntarium de se habet, quod excuset à peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati, & D. August. lib. de natura, & gratia C. 67. non tibi reputatur ad culpam: quod invitus ignoras, sed quod negligis querere, quod ignoras: quod etiam probatur ratione, quia aliter sequeretur, quod qui invincibiliter putat hic, & nunc sibi mentiendum ad salvandam vitam innocentis, necessariò peccaret; etiam tam mentiendo, quàm non mentiendo peccaret; mentiendo quidem, quia mendacium jure naturæ est illicitum; non mentiendo verò, quia operaretur contra conscientiam dictantem sibi mentiendum, præterea sequeretur, quod omnes DD. qui ex ignorantia invincibili aliquid contra jus naturæ docuerunt, peccassent formaliter, similiter peccarent, qui invincibiliter contra jus naturæ aliquid imperant, resolunt, suadent, agunt &c. quod esset viam salutis reddere imperviam.

342. Quæritur. An ignorantia invincibilis concomitans excuset à peccato formali, reu à malitia objecti sic invincibiliter ignorati: v. gr. Si quis jaciatur sagittam, & occidat hominem invincibiliter putatum feram, eo tamen animo, ut si sciret ibi esse hostem, etiam, jaceret sagittam?

Resp. Quod si solùm detur ea habitualis animi dispositio, ut id vellet, si adverteret, nõ tamen detur illa actualis voluntas peccami-

caminosa, tunc nullum peccatum committitur, si verò detur illa actualis voluntas conditionata occidendi hostem, si fortè adesset, proculdubio hic actus erit peccaminosus; verùm si cum hoc actu interno peccaminoso jungatur hostis occisio, irregularitas non incurritur, nec excommunication, sit hostis si clericus, nec onus restitutionis; ratio est, quia actus ille externus non causatur à voluntate illa conditionata peccaminosa, sed à voluntate absoluta occidendi feram, unde ille actus externus non contrahit malitiam ab eo interno, à quo imperatur; cum autem ad incurrendam irregularitatem, excommunicationem, ac onus restitutionis requiratur actus externus graviter peccaminosus, atque adeò ortus ab interno graviter culpabili, idcirco in hoc casu istæ pœnæ non incuruntur.

I M A G O.

343. **Q**Uæritur. An nefas sit Christiano collocare in templo simulacrum Dei Patris sedentis?

Resp. Propositio affirmativa revocans errorem, & hæresim Iconomachorum, est sacrarum Imaginum inimica, idcirco tanquam hæretica damnatur ab Alexandro VIII. cum propof. 26. ratio est, quia Deus frequenter sub figura corporea apparuit, sic *Genes. 3. visus est deambulans ad auram, & Exod. 33. loquens cum Moyse; similiter Pater æternus in figura fœnis sedentis apparuit, Dan. 7. ubi dicitur; aspiciebam, donec Throni positi sunt, & antiquus dierum sedet: ergo simulacrum Dei Patris sedentis exprimens*